

Disce hinc quid possit fortuna; immota labascunt,  
Et, quæ perpetuò sunt agitata, manent.

## EXERCITATIO.

*Philippi Macedonis & Alexandri Magni natura dispar atque indoles demonstrat, non reperiri semper in indole, quæ in sanguine est, similitudinem.*

Per Antitheta.

## SYNOPSIS.

*Exord.* Dicet mirandum non esse, si parentibus similes liberi procreantur propter sanguinis communionem.

*Proposio.* Id porro videri mirum posse, si nullam habeant liberi cum parentibus similitudinem. Addet non esse illud tam infrequens, ut illustribus exemplis demonstrari non possit.

*Confirmatio.* Petetur ab exemplo Philippi Macedonis & Alexandri Magni, qui non in virtutibus modò, sed etiam in vitiis dissimiles extiterunt; quod Antithetis variis illustrabitur.

*Conclusio.* Adeo vel in ipsa sanguinis communionem disparitas indolis reperitur.

## ORATIO.

Cùm nihil est ad efficiendam in moribus atque indole similitudinem potentius, quàm ejusdem sanguinis communitio; & ipsa natura patres amat in eis dotes contemplari, quos patribus, ut sic loquar, cœmentis confinxerit; tum certè nemo est cui mirum videri debeat, si liberi parentibus plerumque similes procreantur.

Verùm, si quando talis è parentum sinu soboles prodeat, ut non modò nullam habeat cum progenitoribus suis similitudinem, sed oppositos etiam affectus & contrarias voluntatum inclinationes præ se fe-

rat; tunc oriri jure possit admiratio non levis, & latentes tanti discriminis causæ curiosius inquiri.

Tamen etsi contra rerum naturam illud accidat; neque legitima satis subjeci ratio videatur illius, quæ liberos inter & parentes cernitur, discrepantiæ; non est istud nihilominus tam infrequens, ut illustribus exemplis demonstrari non possit.

Testis mihi sit unus inter ceteros Magnus Alexander, qui Philippo parente procreatus, & ab eodem adeptus Imperium Macedonum, ita vixit, ita regnavit; ut tam in virtutibus, quàm in vitiis, nihil paternæ indolis aut naturæ accepisse videretur.

Fuit enimverò utrique vincendi ratio diversa; Philippus clam & arte, Alexander aperto Marte bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus; hic palam fufis. Prudentior ille consilio, hic animo illustrior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere; filius ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat.

Vini nimis uterque cupidus, sed ebrietatis diversa vitia. Philippo mos erat etiam de convivio in hostem procurrare, manum conferere, periculis se offerre; Alexander non in hostes, sed in suos sæviebat. Illum sæpe vulneratum prælia remiserunt; hic amicorum interfector convivio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, filius metu. Literarum cultus utrique similis. Majoris ille solertiæ, hic fidei.

Verbis atque oratione Philippus; Alexander rebus moderatior; parcendi victis, filio animus & promptior & honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Denique orbis Imperii funda-

men-

menta Philippus jecit, operis totius gloriam Alexander consummavit.

Adeo vel ex ipsa sanguinis communionem magna interdum indolis ac morum disparitas exurgit!

## ALIA EXERCITATIO.

*Christianos Heroas profanis Heroibus præstare.*

Per Antitheta.

## SYNOPSIS.

*Exord. & Prop.* Dicet nihil habere heroicam fortitudinem, quod cum Christiana virtute comparari possit.

*Confirmatio.* Petetur ex comparatione rerum à profanis heroibus gestarum in ad-eundis periculis, aut debellandis hostibus; cum constantia Christianorum Martyrum in ferendis patienter tormentis vincendis-que Tyrannorum furoribus; quod Antithetis illustrabitur.

*Conclusio.* Dicendo, ne illos quidem fortes esse appellandos, qui se cupiditatibus vinci ac superari passi fuerint.

## ORATIO.

Etsi multa legimus ab Heroibus profanis edita fortitudinis exempla, quæ consequentium deinde ætatum laudem atque admirationem meruerunt; hæc tamen, quantacumque sunt, aut æstimare, aut etiam mirari desinet, quisquis illa voluerit cum invicta Christianorum Heroum constantia comparare.

Prodeant enimverò quotquot olim animi magnitudine conspicui, aut præclaris facinoribus illustres extiterunt, suasque victorias cum Martyrum nostrorum triumphis conferant. Illi dubiis incertisque periculis, isti certis apertisque doloribus caput devovebant. Illi hostes quidem ferocissimos, sed freti sociorum

auxiliis, sed muniti armis aggrediebantur. Isti soli atque inermes Tyrannis crudelissimis dilaniandos se se permittebant. Illi conqueſcebant identidem à laboribus, & beatæ pacis otio fruebantur. Isti ad extremum usque spiritum trajectam gravissimis ærumnis vitam perferebant. Illi evertendas arces, urbes excidendas, vastandas Provincias; isti frangendas cupiditates, vincendum animum, mortem ipsam superandam sibi proponebant. Illi arcano quodam superbæ fastu stimulari; isti solius divini amoris studio incensi. Illi ut sibi apud posteros fortis animi famam compararent; isti ut Deo Superisque gratiosi haberentur.

Eat ergo nunc ostentatrix sui verus Roma, & Heroas suos cum nostris conferat, aut etiam fortes appellandos putet, qui timidi plerumque, qui desides & ignavi nihil veræ sinceræque virtutis retinebant; qui cum hostes vincerent, seipsos vincere minimè sustinebant. Illi, illi fortes soli & tam glorioso nuncupandi nomine, qui nullis cruciatibus corporis, nullo vel exilii vel mortis metu, nullis crudelissimorum Tyrannorum furoribus à suscepta semel Christi fide deterreri poterunt.

## ARTICULUS IV.

*De reliquis Verborum Figuris.*

Quid est Adjunctio sive Zeugma?

R. Est Figura, qua ad unum verbum, seu primum, seu medium, seu postremum plures sententiæ referuntur. Cicero Lib. de Oratore ad Brutum. *Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectionis? Ubi vox illa commune, multis vocibus infer-*

vit,



vit, ad quam illæ referuntur. Item pro Lege Manil. n. 40. Sed hæres, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Ubi multa vocabula ad unum idemque verbum, revocavit, referuntur. Pro Quint. num. 15. Vicis pudorem libido, timorem audacia, rationem amenitas.

Et Orat. pro Marcello n. 7. Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil Turma decerpit.

Quid est Disjunctio?

R. Est Figura Adjunctioni contraria; qua unicuique Orationis membro suum verbum apponitur, cum unum toti Orationi possit sufficere. Ita Cicero pro Archia n. 16. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Ibidem num. 19. Homerum Colophonii suum esse civem dicunt, Chii suum vindicant, Salamini repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant.

Quid est Distributio?

R. Est Figura, qua ita distribuuntur Orationis membra, ut singula singulis respondeant; quæ Figura eadem pœnè est ac Isocolon, de quo jam diximus. Cicero pro Lege Manil. n. 35. Tantum bellum tam diuturnum, tam longè lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

Et pro Sylla n. 14. Multum hæc

vox deberet fortasse valere ejus hominis, qui Consul insidias Reipublice consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset.

Et Phil. 5. n. 44. in Vat. n. 5.

Hæc Figura in sententiis effertur vim habet & gratiam; sed eadem parçè utendum Oratori, quia fastidium parit propter nimiam artis affectationem.

Quid est Synonymia sive Interpretatio?

R. Est Figura, qua plura idem significantia congeruntur instandi urgendique gratia. Cat. 1. n. 10. Nobiscum versari jam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam. Cat. 2. n. 1. Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefarie molientem, ex urbe, vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosequuti sumus; abiit, excessit, evasit, erupit.

Habes alia Figure hujus exempla pro Mil. n. 33. in Pisonem n. 47.

Observandum porro 1. magnum habendum esse verborum delectum, ne Orationem potius onerent, quam ornent. 2. Ut quæ verba ponuntur extremo loco sint graviora prioribus, imò aliquid paulò diversum sonent.

Quid est Synatrochismus seu Congeries?

R. Est multarum rerum, seu potius verborum congeries, qua præsertim utimur, cum aliquid amplificare, aut vehementius instare volumus. Sit illud exemplum Orat. post Reditum, in Senatu n. 1. Quæ potest existere tanta ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile Orationis genus, quo quisquam possit, vestram nos universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere nu-

me-

merando? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos: qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui amplissimam Rempublicam, qui patriam, quæ nihil potest esse jucundius, qui denique nosmetipsos nobis reddidistis?

Et Catilinaria 1. numer. 10. Quæcum ita sint, Catilina, perge quod cepisti, egredere tandem aliquando ex urbe: patent portæ, proficiscere: Nihil te diu Imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, sin minus quamplurimos: purga urbem, magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus interfit; nobiscum versari jam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam. Vide & n. 10. Item pro Cælio num. 12. 46. pro Mil. 69.

Quid est Paradiastolè?

R. Est Figura, qua res inter se similes distinguuntur. Ita Seneca de pigro homine loquens dicit. Non diu vixit, sed diu fuit. Item, Pergimus non quo eundem estis, sed quo stur, nec ad rationem vivimus, sed ad similitudinem.

Quid est Polypoton?

R. Est Figura, qua nomen idem variis in casibus vel generibus iteratur. Cicero Orat. de Haruspicum Resp. num. 38. Tibi verò, si diligenter attenderis, intelliges, hominum poenas deesse adhuc, non Deorum. Homines te in re foedissima defenderunt; homines turpissimum nocentissimumque laudaverunt; homines propter pecuniam iudicio liberaverunt; hominibus injuria tui stupri illata in ipsos, dolori non fuit. Homines tibi arma, alii in me, alii post in illum invictum civem dederunt. Hominum beneficia prorsus concedo tibi, ac majora non esse querenda.

Et pro Archia numer. 14. Ple-ni omnes sunt Libri, plena sapientum voces, plena exemplorum vestustas.

Item 7. Ver. n. 78. Est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur.

Quid est Polysyntheron?

R. Est Figura, qua multæ conjunctiones simul in eadem Orationis parte ponuntur. Cicero Lib. 1. Offic. n. 109. In sermonibus alium quidem videmus, quamvis præpotens sit, efficere, ut unus de multis esse videatur. Quod in Catullo, & in patre, & in filio, itemque in Mutio vidimus.

## EXERCITATIO.

Christus Infans Orator disertissimus.

Per supra laudatas Figuras.

## SYNOPSIS.

Exord. Mortales invitabit ad audiendum cœlestem Oratorem à Deo missum in terras ad homines erudiendos: quod tractabit per Congeriem & Synonymiam sive Interpretationem.

2. Dicet Christum Infantem, quamquam flere videatur, loqui tamen disertissime; neque ipsam tantum, sed & quæ circum adjacent omnia, stabulum, fœnum, pannos, &c. quod illustrabit Adjunctione.

3. Addet disertius loqui ipsum è stabulo, quam olim è monte locuturus est, quæ exemplo suo erudiat homines ad rerum terrenarum contemptum: idque tractabit per Disjunctionem. Jam beatos pauperes clamat, jam, &c.

4. Rationem afferet per Adjunctionem. Nam quis commendanti pauperem non credat, quem viderit, &c. Quis repudiantii honores fidem derogat, &c.

Concludet per Distributionem. Quis ergo jam divitias ambiat; quis honores sectetur, quis, &c.



## O R A T I O .

Synoni-  
mia .

Adeste, mortales, quotquot estis, venite, properate frequentes: ecce promissus vobis tot ab hinc seculis, desideratus ab innumeris gentibus, orbi universo tandiu expectatus est pulcherrimo Cœli domicilio delabitur cœlestis Orator, qui obscuras veteris ignorantiae tenebras depellat, mentes erudiat, & depromptam ex ipso Dei omnipotentis sacrario doctrinam impertiat. Accedite igitur propius, succedite in ipsa loci illius penetralia, quæ sibi ad perorandum elegit; & cavete sedulo, ne quid eorum vobis excidat, quæ ab ipsius ore divino promanabunt.

Quamquam ludimur! nam quæ nova se oculis nostris species objicit? Quærimus Oratorem, ecce reclinatam in præsepio, pannis involutum, constrictum fasciis, unius denique diei Infantem offendimus. Quin &, quem venimus auditum, is silet, aut nihil emittit præter vagitus miserabiles, certissima paupertatis, angustiae, dolorum ac miseriarum, quas patitur, argumenta.

Adjun-  
tio .

Tamen ne vos inanis species decipiat; vel in Infante, vel in silente Oratorem agnoscite disertissimum. Neque verò loquitur ipse tantum, sed & quaecumque hic adjacent, omnia loquuntur. Stabulum, præsepe, panni, vagitus, lacrymæ, minuta corpusculi membra, ipsum denique, quod miramur, silentium disertissime loquitur.

Disjun-  
tio .

Imò, imò excipite diligenter auribus cœlestis illius, quam tradit, doctrinæ oracula; jam enim exemplo suo melius, quam oratione beatos pauperes clamat, beatos, qui lugent, prædicat, beatos, qui patiun-

tur ultrò vitæ hujus ærumnas ac calamitates, proficitur. Nunc hodie primum divitias improbat & ambitionem arguit, & molles delicioris vitæ delicias execratur. Nunc est stabulo melius, quam olim est monte facturus est, reconditoris sapientiae fundamenta orditur & jacit.

Polyfyn-  
theton .

Nam quis, amabo commendanti paupertatem non credat, quem ad extremas egestatis angustias redactum & rebus spoliatum omnibus noverit; cui procul à cognatis, notis, amicis posito, nullum comitatum, nullum auxilium; nihil eorum, quæ miserrimis quibusque nunquam desunt, videat suppetere? quem sine tecto, sine lare, sine foco, nihilo sanè commodius quam foris, in aperto ac propatulo loco natum & educatum sciat. Quis repudianti honores ac dignitates fidem derogat, dum ipse sciens volensque vilissima quæque, spreto conculcatoque mundano fastu, amplectitur? Dum patrem opificem, matrem peræque in vulgus ignotam, tenuissimis utrumque fortunis eligit? dum emendicato ostium diversorio spretus insigniter, & per summam contumeliam exclusus undique, ad desertas inhabitabilesque attegias, ad merum cespitem, meram maceriam, ad brutarum animalium vitam, societatem ac veluti contubernium se demittit? Quis diffluentem deliciis voluptuosamque vitam increpanti contradicere audeat, quem gravissimos acerbissimos casus intelligat subisse, & innumeris, quibus hæc vita conficitur, ærumnis obnoxium ac subditum esse fateatur?

Adjun-  
tio .

Erit ergo deinceps qui divitias tantopere conquirendas putet, dum Christus exemplo suo paupertatem commendat? Erit qui honores ac dignitates confectetur, dum Christus abjecta seculi pompa obscura

vita.

vitæ opprobrium amandum esse re-  
clamat! Erit qui mollioribus vitæ  
illecebris studeat impensius; dum  
Christus inter acerbissimos dolorum  
aculeos natus confectandas, aut sal-  
tem ferendas molestiarum acerbita-  
tes esse demonstrat?

## A L I A E X E R C I T A T I O .

*Servandam esse etiam in appetenda gloria moderationem.*

Per easdem Figuras.

## S Y N O P S I S .

*Exord.* Dicitur tam exitiosam esse nimiam gloriæ cupiditatem, quam esse solet fluvius, qui præscriptos sibi fines excedit.

2. Discurrendo per multa vitia ostendit nullum esse, quod tam gravem Reipublicæ ruinam afferat, quam nimia gloriæ libido; idque tractabit per Adjunctionem.

3. Demonstrabit nullam esse ætatem, nullum ordinem, quem non corrumpat, idque per Disjunctionem.

4. Per Distributionem contendet nihil esse tam sanctum, quod non illa violet, nullum esse vitium ad quod non impellat.

Concludet per Adjunctionem providendum omni Reipublicæ, ut in suis immoderatum gloriæ desiderium reprimat.

## O R A T I O .

Quemadmodum Fluvius leni ac temperato agmine profuens agris fertilitatem, urbibus merces peregrinas, populis ac regionibus ubertatem invehit; idem si exundans & impatiens suis ripis teneri erumpit, fata lata evertit, campis vastitatem, perniciem ipsis urbibus importat: ita gloriæ cupiditas quandiu tenebit modum, & præscriptos intra limites se continebit, lucro erit ac laudi; sin verò ultra fines illos profuerit, quos illi ratio virtusque posuerint, incredibile dictu est, quas

afferat calamitates, quantam perniciem publicis privatique rebus importet.

Cedo mihi enimverò aliam tam metuendam Reipublicæ perniciem, quam cupido gloriæ esse solet, ubi semel justos moderatæ virtutis fines prætergressa est. Non alieni semper appetens avaritia, non ignavia civium, non effrenata voluptatum libido, non iræ, non similitates, non ipsæ, quæ alios in alios acuunt, civiles discordiæ, tam gravem, tam apertam, tam fatalem Reipublicæ ruinam moluntur.

Adjun-  
tio .

Nam cui demum parcit, cui non imperat, cui non dominatur impotens gloriæ libido? Adolescentes urit, viros inflammat, senes etiam accendit, nobiles acuit, plebejos extimulat, barbaris etiam & incultis gentibus faces subjicit, & gravissima importat incendia.

Disjun-  
tio .

Sed quid ista commemoro? Nihil est tam altis defixum radicibus, quod non evellat: nihil tam firmum, tam defensum, quod non perfringat; Nihil tam indomitum quod non subjiciat; nihil tam sanctè institutum, quod non rescindat; nihil denique tam sacrum, quod non polluat.

Distribu-  
tio .

Hoc igitur præcavere sedulo debet omnis benè morata Respublica, ut si dociles, modestos, obsequentes, pacis ac tranquillitatis studiosos cives habere voluerit, eam in ipsis cupiditatem temperet, quæ audaciæ, temeritati, iræ, vindictæ, rebellionis, impietati, innumeris denique vitis quasi vexillum solet præferre.

Adjun-  
tio .



## CAPUT III.

## De Figuris Sententiarum.

**Q**uid sunt Figurae Sententiarum?

R. Sunt Orationis ornamenta, quae non in verbis, sed in ipsis sententiis collocatam habent suam dignitatem.

Quae sunt Figurae Sententiarum?

R. Praecipuae sunt illae.

Interrogatio, Responsio, Subjectio, Prolepsis, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Prosopopeja, Apostrophe, Hypotiposis, Aposiopesis, Ethopeja, Emphasis, Sustainatio, Praetermissio, Licentia, Concessio, Parenthesis, Distributio, Permissio, Antithesis, Deprecatio, Optatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio.

Agemus de singulis suo ordine; atque ut uberior rerum seges Exercitationibus contingat, plures Figuras Articuli singuli complectentur.

## ARTICULUS PRIMUS.

## De Interrogatione, Responsione &amp; Subjectione.

Quid est Interrogatio?

R. Est Figura, qua Orator vel adversarium vel alium quemlibet, vel semetipsum interrogat ob aliam, quam simplicem sciscitandi causam. Hujus porro Figurae tot sunt apud Ciceronem exempla, ut in singulis paene paginis occurrant.

Catilin. 1. n. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quandiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem se se effrenata jactabit audacia? Nihil te nocturnum praesidium palatii, nihil urbis vigi-*

*lia, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere consilia tua non sentis? Constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiori nocte egeris, ubi fueris, quos convocaris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?*

Et pro Plancio n. 48. *Est-ne hac vera contentio? Placet-ne sic agi? Non possum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius accedere. Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco atque adeo flagito crimen; quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris, vitium.*

Verrina 7. n. 15. 146. Pro Caelio n. 71. Ver. 1. n. 21. Ver. 5. n. 160. Pro Flacco n. 79. Pro Cluent. n. 62. Pro Sextio n. 78.

Quis est Interrogationis usus?

R. Frequentissimus est in omni genere causarum; in Exordio, Narratione, Confirmatione, & Peroratione. Valet autem praecipue in laudando & vituperando, in votis ac desideriiis. Usurpatur autem maxime cum urgendus est adversarius vehementius.

Quid est Responsio?

R. Est Figura, qua unum interroganti, aliud, quod utilius est, responderetur. Cicero pro Rosc. Amer. n. 143. *Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re voluntatem tuam a me ladi putas? Ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? Si spoliatorum causa vis hominem occidere? spoliasti. Quid queris amplius? si inimicitiarum, quae sunt tibi inimicitiae cum eo, cujus antea praedia possedisti, quam ipsum cognovisti?*

*sti? sin, metuis? ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipsum ab se se tam atrocem injuriam propulsare non posse? &c.*

Et pro Muræna n. 73. *Quid enim, num Senatus obviam prodire crimen putat? non, sed mercede convince. Num sectari multos? non, sed conductos, doce. Num locum ad spectandum dare, aut ad prandium invitare? minime, sed vulgo, passim: quid est vulgo? universos. Item pro Flacco n. 4.*

Quid est Subjectio?

R. Est Figura, qua Orator, vel interrogat seipsum, & respondet sibi, vel cum alium interrogavit, non expectat ejus responsum, sed aliud addit de suo. Ita Cicero, *An domus tibi deerat? at habebas. An pecunia? at abundabas. An arma? at non ita pridem ad te missa fuerant.*

Et pro Lege Manilia n. 61. *Quid tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili Reipublica tempore conficere? confecit. Hinc praesente? praesente, rem optimè ductu suo gerere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem, quam hominè per adolescenti cuius à Senatorio gradu aetas longè abesset imperium atque exercitum dare? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his Provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

Habes alia hujus Figurae exempla pro Quinctio n. 43. 44. 79. Pro Rosc. Amer. n. 54. 74. 2. in Rul. n. 45. Ver. 4. num. 192.

Quis est usus hujus Figurae?

R. Usurpatur illa maxime in Amplificatione cum ad laudem, tum ad vituperium; seu cum urgetur adversarius, aut suadet aliquid vel dissuadet. Egregium hujusce rei exemplum offert Oratio pro Muræna

Le Jay, Tom. 1.

n. 88. Ubi Cicero dissuadet Judicibus exilium Murænae. *Si, quod Jupiter omen avertat, hunc vestris sententiis afflixeritis, quò se miser vertet? domum ne, ut eam imaginem clarissimi viri parentis sui, quam paucis antè diebus Laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia lugentemque videat? An ad matrem, quae misera modò Consulèm osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paulò post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem aut domum appello, quem nova poena legis & domo & parente & omnium suorum consuetudine conspectuque privat? Ibi igitur in exilium miser? quò? ad Orientisne partes, in quibus multos annos legatus fuit, & exercitus duxit, & magnas res gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore discesseris, eodem cum ignominia reverti, &c.*

## EXERCITATIO.

Veturia Coriolani Mater ad Filium Rome excidium meditantem.

Per Interrogationem, Responsionem, Subjectionem.

## SYNOPSIS.

Exord. **Q**ueretur Veturia repulsa Senatus preces, petetque per Interrogationem, num deprecantem matrem parat rejicere?

1. Per aliam Interrogationem, quaeret ab eo quid velit? quid meditetur?

2. Per Interrogationem cum subjectione junctam ostendet consilii ipsius iniquitatem, qui devotam sibi urbem, poenitentem facti, & paratam ad omnia velit perdere.

3. Per Interrogationem & Responsionem dicet, vis nocentes plectere? punies innocentes. Hostes persequeris? perdes amicos, &c.

Denique minabitur, nisi ille iram ponat, futurum, ut excidium urbis à suorum strage incipiat.

E O R A -



## ORATIO.

**Interrogatio.** Certum igitur deliberatumque est, Coriolane; cupidum cædis & appetentem vindictæ animum explere? Hodiernus dies nobis ultimus illuxit? Nihil Senatus preces, nihil vota populi, nihil totius civitatis mœror ac comploratio animum inflectunt? Tuos-ne etiam durus abjicies ac respues? Tu parentis afflictæ gemitus, tu conjugis piæ lacrymas, tu miseræ sobolis orbitatem aspicias siccis oculis, & inexorabili mente etiam perferes?

Sed quid agis? quid moliris? quid cogitas? quis est sensus armorum tuorum? quid sibi volunt districti illi gladii? quid accensæ faces meditantur? Me-ne, an sponsam, an filios petunt? Adeone veteris injuriæ memor atque iræ impotens, nihil ut avidum ultionis animum placare valeat?

**Subsilio.** Atenim te civem, te benemeritum de patria, te innocentem ingrata civitas damnavit: sed ipsam facti piget. Te expulit? sed revocat. Te Magistratibus spoliavit? sed ampliores restituit. Te probro, te contumelia, te dedecore, per summum nefas, notavit? at devota jam tibi tota & ad omne obsequii genus parata, quidquid est admisum flagitii, ultro volensque expiabit.

**Inaerrogatio & Respon- sio.** Quanquam si cædes placet, si te pereuntis patriæ funera delectant, saltem ah! distingue fontes ab insonantibus, hostes ab amicis, alienos à tuis. Nocentes vis perdere? perdes innocentes. Insenos tibi persequeris? mactabis amicos. Civium ingratorum sanguinem appetis? tuorum cruorem fundes. Nescis ergo, Coriolane, nescis, quia sub istis mœnibus, quæ jam evertes, in his

Laribus, quos jam incendes, intra illius urbis pœnethalia, quam excidio destinans, nescis, inquam, quia filii charissimi, fidelis uxor, & tua quondam cura, infelix mater, tegitur?

Ne dubita; nisi pacem annuis; nisi te amor, fides, pietas furentem retinent; idem qui patriam tumultus, & nos obruet. Ibo, ibo; & infestos inter gladios occurram nudato pectore; liberos tibi objiciam tuos; primos portarum aditus uxor & mater defendent. Aut arma pones nobis rogantibus; aut, si vindicta magis placet, prima cademus tibi victima; nec nisi nostro cruentum sanguine incivium tuorum corpora ferrum exiges.

## ALIA EXERCITATIO.

*Andromache ad Ulysses, cum is Astyanacta mactandum repeteret.*

## SYNOPSIS.

**Exord.** Ulyssi gratulabitur quod supplicem & advolutam genibus Priami Nuru & Hectoris conjugem videat.

1. Sententiam corriget, peretque ab Ulysses veniam, cujus in misericordia salutem Astyanactis sui positam esse fatebitur.

2. Per varias interrogationes; quæret an non satis graves pœnas Trojani dederint incensa Troja, Priamo atque Hectore interfectis? Cur ultra Græci veteres injurias vindicent? cur puerum innocentem perdere meditentur?

3. Ostendet per Interrogationem & subjectionem, nihil esse metuendum à puero, inermi, captivo, qui nec hostes, nec amicos noverit.

4. Jubebit Ulysses securum esse ab omni metu; unumque rogabit ut sibi vitam in tenebris trahere ingloriam liceat.

ORA-

## ORATIO.

Quod hætenus nec incensa Troja, nec ereptis hujus Imperii defensoribus, nec ipso Hectore amantissimo conjugate interfecto Græci consecuti sunt, ut advolutam cujusquam ad pedes Andromachen, aut supplices manus protendentem viderent, id hodie, felici, dicam, fato tuo, Ulysses, an tua potius sagacitate perfecisti.

Gratulare igitur tibi, Imperator sapientissime. Illa tot Regum neptis Andromache, illa magni Priami nurus, & fortis conjux Hectoris tua amplexari genua non erubescit. Quid in longa obsidione illustrius, quid in victoria gloriosius, quid in præda magnificentius sperare potuisti?

**Interrogatio & Respon- sio.**

Quanquam ubi sum? aut quem alloquor? Supplex dominum, victorem captiva, vitæ necisque arbitrum, victima crudelibus fati mancipata! Pone ingentes animos, Andromache, & quos dedit fortuna sensus, indue. Hi spiritus olim stante Troja decebant, lapsa non decent. Da veniam, Ulysses; ignosce, si me pristinae sortis recordatio vel afflictam ac jacentem extimulet. Ad te confugio, tibi me permitto totam; in tua bonitate atque clementia vitam ac salutem repono. Te, per istam animi tui lenitatem, per communes Deos, per spem surgentis Telemachi, oro atque obtestor; noli perdere, quos potes tueri; serva mihi sospitem Astyanacta, & innocentis illius victimæ miseresce.

**Interrogatio.** Nam quid ultra nos persequeris? num ergo satis graves pœnas miserari Troes luimus? num abundè veteres injurias ulti Græci sunt? Heu! quos ego dolores vel una non sensi? Patriam ferro flammisque evertistis; Propinquos ac consanguineos

interfecistis; Hectorem meum crudelem in modum raptastis! quid innocentem puerum, unicum afflictæ matris solatium ad pœnas repetistis? An vestras ille turmas profligavit? an vestris subjecit ignes navibus? an Græcorum sanguine manus cruentavit?

**Interrogatio & Subsilio.** Sed quid ego hæc? Frustra sum! Timemur, Astianax; neque se Græci securos aut victores purant, dum vixeris! Ita ne verò est, Ulysses? nihil fingis? nihil dissimulas? Ah ne te ista cura maceret; non sic jaceamus miseri, ut facere cuiquam metum valeamus? Timetis, ne resides incensæ Trojæ cineres Astyanax excuscit? at puer est: veremini, ne suos olim pristinam in libertatem vindicet? at in vinculis, at captivus est. Pertimescitis, ne parentis & avi mortem ulciscatur? At nec patrem, nec avum novit, aut vidit.

Egregium enim verò timoris argumentum. Victores Græci victos, armati inermes, Ulysses puerum, universus exercitus tristes desolatæ familiæ reliquias extimescunt. Esto solutus ab illo metu, Ulysses; plus miserandi, quàm timendi sumus! I, repete patriam, & reportatæ victoriæ gloriam nostri securus refer. Hoc unum exorem ab humanitate tua, ut ingloriam perpetuis in tenebris vitam trahere filio matrique liceat! Sic tu faventibus Superis Ithacam sospes & incolumis appellas! sic tibi Telemachus longum vivat, & avum patremque factis ingentibus æmuletur! sic Laertem charissimum, sic Penelopen tuam revisas, & diu multumque utriusque amplexibus perfruare.

E 2

AR-



## ARTICULUS II.

De Prolepfi, Correctione, Dubitatione, Communicatione.

Quid est Prolepfi sive Antecuratio?

R. Est Figura, qua Orator occupat id, quod ab adversario objici potest. Usus habet frequentem in Exordiis. Divinat. in Ver. n. 1. Si quis vestrum, aut eorum qui adsunt forte miratur, me, qui tot annos in causis, iudiciisque publicis ita versatus sum, ut defenderim multos, laeserim neminem; subito mutata voluntate ad accusandum descendisse; is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una & id quod facio probabit, & in hac causa profecto neminem proponendum esse mihi actorem putabit.

Item pro Rosc. Amer. n. 1. Ver. 6. n. 2. Ver. 7. n. 2. Pro Rab. Posth. n. 1. pro Sextio n. 3.

Quot modis fieri potest Prolepfi?

R. 1. Cum fatemur verum id esse, quod ab adversario objicitur; ut in Orat. pro Rab. Posthumo n. 1. Si quis est, Iudices, qui C. Rabirium, quod sua fortuna fundatas praesertim atque optime constitutas opes potestati Regiae libidinique commiserit, reprehendendum putet, adscribat ad iudicium suum non modo meam, sed huius etiam ipsius, qui commisit, sententiam; neque enim cuiquam eius consilium vehementius, quam ipsi displicet.

2. Cum aliquid sibi objicit Orator, & refellit statim, ut pro Archia n. 15. Quare quispiam, quid? Illi summi viri, quorum virtutes literis prodita sunt, ista-ne doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt. Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum, quid

respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse & sine doctrina natura ipsius habitu prope divino, per seipsum & moderatos & graves extitisse fateor; atque illud adjungo; saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quadam confirmatioque doctrina, tum illud nescio quid praclarum ac singulare solere existere. Item Ver. 7. n. 2.

3. Cum aliquid Orator praesumat quod ab adversario objici posset, ut pro Caelio num. 39. Dicit aliquis, haec est igitur tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit & tradidit; ut in amore & voluptatibus adolescentiam collocaret, & hanc tu vitam, atque haec studia tu defenderes? Ego, si quis, Iudices, hoc animi robore atque hac indole virtutis ac continentia fuit, ut respueret omnes voluptates, omnemque vitam suam cursum in labore corporis atque animi contentione conficeret; quem non quies, non equalium studia, non ludii, non convivia delectarent; nihil in vita putaret expetendum, nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum, hunc mea sententia divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto.

Talis est & locus ille pro Lege Manilia n. 22. Requiretur fortasse, nunc, &c.

4. Cum Orator emendat aliquid priusquam id dicat, ut in Orat. pro Sextio n. 4. Itaque si aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt, peto à vobis, ut tantum Orationi meae concedatis, quantum & pro dolori & iusta iracundia concedendum putatis.

Item

Item pro Quintio n. 5.

5. Denique cum dicit Orator aliquid, antequam id dicere videatur, ut 6. Ver. num. 2. Magnum videor dicere; attendite etiam, quem admodum dicam; non enim verbi neque criminis augendi causa completor omnia, cum dico nihil istum ejusmodi rerum in tota Provincia reliquisse.

Hujus autem figurae sunt illae apud Tullium formulae. Forstian queritis; Fortè dicit quis; Etiam dicere audebis; Ac etiam sunt qui dicant; sed quae ex audio dissimulare non possum; At ne quis à nobis; Reprehendo igitur? minime verò; neque enim, &c.

Quid est Correctio?

R. Est Figura, qua Orator dictam sententiam, alia magis idonea corrigit. Hac utitur Tullius in primis, si quem pungere acrius velit. Ut pro Caelio n. 32. Quod quidem facerem vehementius, nisi mihi intercederent inimicitiae cum istius mulieris viro, fratrem volui dicere, semper hic erro; nunc agam modicè, nec longius progrediar, quam me mea fides, & causa ipsa coget.

Alia est Correctio verbi, alia sententiae; in priori dictum verbum Orator emendat, & aliud subjicit; in posteriori sententiam ipsam corrigit.

Verbum Corrigit, loco jam laudato, pro Caelio, item n. 71. Ostultitiam? stultitiam ne dicam, an impudentiam singularem?

Et pro Rosc. Am. n. 134. In hac vita quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quae verò convivia? honesta, credo, in huiusmodi domo? si domus hac habenda est potius, quam officina nequitiae & divertorium flagitiorum omnium.

Item pro Ligatio n. 26. pro Sextio n. 110. 2. Philip. n. 10.

Le Jay, Tom. I.

Hac Figura multum leporis habet cum in Paronomasia luditur, ut cum iste vir optimus, opimum volui dicere.

Corrigit sententiam Cicero pro Lig. num. 24. Veniebatis igitur in Africam Provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam, in qua erat Rex potentissimus, inimicus huic cause, aliena voluntas, conventus firmi atque magni. Quero quid facturi fuissetis? quantum quid facturi fueritis non dubitem, cum videam, quid feceritis.

Item Phil. 2. num. 42. Quanquam hoc maxime admiratus sum mentionem te hereditatum ausum esse facere, cum ipse hereditatem patris non adisses. Hac ut colligeres, homo amentissime, tot dies in altera villa declamasti. Quanquam, tu quidem, ut tui familiarissimi dicitant, vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamitas.

Item 1. Catilin. num. 22. & 24. pro Comedo n. 18. Pro Domo sua num. 121. Pro Plancio n. 49. 2. Offic. num. 76.

Hac porro Figura non utitur modo Tullius ad vituperandum, sed etiam ad laudandum, ut 3. Philip. num. 3. Cajus Caesar adolescens, potius potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum maxime cum arderet furor Antonii, cum ejus à Brundisio crudelis ac pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis, quia fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimonium suum effudit. Quanquam non sumus nisi eo verbo quo decuit, non enim effudit, sed in salute Reipublica collocavit.

Item pro Dejot. n. 16. At, credo,

E 3 hoc



hoc homo inconsultus & temerarius non videbat; quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? Quanquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio & prudentia, quam fide & religione vita defendendum puto.

Ex laudatis jam locis facile est intelligere, quanam formulæ huic tractandæ Figuræ deserviant.

Quid est Dubitatio?

R. Est Figura, qua Orator fingit nescire se, quid dicere debeat, aut quam in partem animum convertat. Dubitatio autem altera verborum, altera rerum dici potest. Verborum quidem, cum de nomine Orator dubitat, ut pro Quinctio num. 56. Si ista causa abs te tota per summam fraudem & malitiam facta est: si vadimonium omnino tibi cum Quinctio nullum fuit; quo te nomine appellemus? Improbum? at, etiamsi vadimonium desertum esset, tamen in ista postulatione & proscriptione honorum improbissimus reperiebare. Num malitiosum? negas. Fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi & præclarum putas. Audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt, res autem nova & inaudita.

Item & 6. Ver. n. 1.

Illustre est exemplum apud Livium Lib. 8. Decade 3. ubi Scipio ita loquitur. Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium nec oratio suppeditat, quos, nec quo nomine appellare debeam, scio. Cives? qui à patria vestra descivistis. An milites? qui imperium auspiciisque abnuistis. Sacratos? Religionem rupistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium video.

Dubitatio verò rerum ea est, cum ex pluribus rebus Orator querit, quid agere debeat. 6. Ver. n. 88.

Unum hoc crimen videtur esse, & à me pro uno ponitur de Mercurio Tyn-daritano. Plura sunt; sed, ex quo pacto distinguere aut separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum, quod Signum à sociis pecunia magna sustulit. Est peculatus, quod publice Populi Rom. Signum, de prada hostium captum, postum Imperatoris nostri nomine non dubitavit auferre. Est majestatis, quod Imperii nostri gloria rerumque gestarum monumenta evertere atque adsportare ausus est. Est sceleris, quod religiones maximas violavit. Est crudelitatis, quod in hominem innocentem, in socium nostrum atque amicum novum ac singulare supplicii genus excogitavit. Illud verò quid sit, jam nequeo dicere; quo nomine appellem, nescio, &c. Totus ille locus egregius est.

Item pro Rosc. Amer. n. 29. Hoc consilio atque adeo hac amentia impulsus, quem ipsi, cum cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt. Quid primum querar? aut unde potissimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorum-ne immortalium? Populi-ne Rom. vestram-ne, qui summam potestatem habetis hoc tempore, fidem implorem?

Habes alia ejusdem Figuræ exempla 2. Ver. n. 32. 7. Ver. n. 2. 11. Phil. n. 19. Pro Cluentio n. 4.

Quis est usus illius Figuræ?

R. Multiplex. Valet in Orationibus Panegyricis, quando ea rerum gestarum ubertas occurrit, aut virtutum alicujus & ornamentorum magnitudo, ut Orator fingat nescire se, unde potissimum debeat ordiri, & quid primum dicere. In genere judiciali, cum indignitas alicujus facinoris est exponenda, aut vitia alicujus redarguenda. In genere deliberativo, quando rei gerendæ tot occurrunt

ra-

rationes, ut, quam primo loco ponat, fateatur Orator se nescire.

Quid est Communicatio?

R. Est Figura, qua Orator vel adversarios, vel auditores, vel Judices ira consulit, ac compellat, ut eos rei iudices quasi constituere vel le videatur, adeo bonitati causæ suæ confidit.

Cicero pro Rab. Perd. n. 22. Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore; cum ignavia ratio te in fugam atque in latebras compelleret; improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arceseret; Consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent? Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus potissimum imperio parere velles?

Pro Muræna n. 9. Quod si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertia, nulla superbiæ turpido, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego verò libenter desino; sin autem fuga laboris desiciam, repudiatio supplicium superbiæ, amicorum neglectio improbitatem coarguit. Nimirum hæc causa est hujusmodi; quam nec industrius, nec misericors, nec officiosus deserere possit. Atque hujusce rei conjecturam de tuo ipsius studio, Servi, facile ceperis. Nam si tibi necesse putas, etiam adversariis amicorum tuorum de jure consulentibus respondere; & si turpe existimas, te advocato, illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere; nolite esse tam injustus, ut, cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere.

Habes alia hujus Figuræ exempla 1. Ver. n. 37. 7. Ver. n. 165. Pro Cæcin. n. 32. 35. Pro Quinctio n. 54. Pro Rosc. Am. 104. Pro Sextio n. 43. 81. 3. Agraria n. 20. Pro Domo sua n. 130. Pro Plancio n. 7. Philip. 2. n. 34.

Sunt autem hujus Figuræ vulgares apud Tullium formulæ. Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis, &c. Quero, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati, non modo limine tectoque aditum tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohiberent, quid acturus sis, &c. Vide, Antoni, quid tibi futurum sit, &c.

### EXERCITATIO.

Nobilis Carthaginensis ad Annibalem Capuæ otiantem, ut Roma obsidionem aggrediatur.

Per laudatas supra Figuras.

### SYNOPSIS.

Exord. **F**let per Prolepsin. Præveniet Annibalis animus, quod tanto Imperatori dare consilium præsumat.

Proposito. Per Dubitationem scrutando causas, propter quas Capuæ remoretur; an extinctum sit ipse in Romanos odium? an poeniteat ipsum partæ jam gloriæ? an timeat Romam aggredi?

Confirmatio. Petetur à facilitate expugnandæ urbis & per Correctionem, quid facilem dico, &c. ostendetque quam obvia sit expugnatio Romæ, ab accisis Romanorum viribus, à cladibus jam acceptis, à metu quo percussa Roma est.

Id ipsum tractabit per Communicationem. Quid facturos Romanos putares, si Carthaginenses tot cladibus affecissent; si vicissent ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas? an otiantem desides? an oblatam novæ victoriæ occasionem aspernarentur?

Conclusio. Vide ergo, ne, si cessaveris diutius, invalescant illi, & veteres ruinas reparent.

### ORATIO.

Et si bellicis in rebus per temer ipse satis acutum vides, neque nostrum est sapientissimi Ducis consilia curiosius perscrutari; tamen ubi gloria tua, ubi patriæ salus vocatur

Prolep-